



13.

1780 6a

DISSERTATIO IVRIDICA
QVAMDIV
VALEAT TESTAMENTVM
MILITARE?

QVAM
CONSENSV

12

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
HENR. IOANNE OTTONE KOENIG

I. V. D.

SCABINATVS HALENSIS ASSESSORE ORDINARIO

AC

P. 288.

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO

H. L. Q. C.

DIE XIX MAII MDCCCLXXX


DEFENDET

A VCTOR ET RESPONDENS
EGIDIVS GOTTLIEB VOGT

SVRINAMO-AMERICANVS.

HALAE

LITTERIS IO. IAC. CVRTII.



DISSEMINATION

QUAM DIU

VALLETT TESTAMENTUM

MILITARE

JACOBO VOGT

1781

CONSENSU

HEVSTIS ICTORUM ORDINE

PHILIPPO

HENR JOHANN GOTTFRIED KORNIG

SCIENTIARUM HONORARIUS

PHYSICUM PROFESSORUM

1781

DR. THEO. MAH. CHROST

1781

AVCTOR ET REVISOR

EGIDIVS GOTTLIEB VOGT

PHYSICUM - AMERICANUM

EGIDIVS GOTTLIEB VOGT

LIT. TENSIS. SAC. CAESAR.



VIRO ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

IACOBO VOGT

COLONIARVM SVRINAMENSIVM

COMMISSARIO SVPREMO

PATRI OPTIMO

HVNCCE LIBELLVM

D. D. D.

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS

EGIDIVS GOTTLIEB VOGT.



VIRO ILLUSTRIS

EXCELLENTISSIMO ATQUE AMPLISSIMO

JACOBO VOGT

COLONIARUM EVANGELICAE

COMMISSARIO

PATRI OPTIMO

HANCQUE LIBELLAM

M. D. C. C.

EDIDIT COLLEGIUM VOGT





DISSERTATIO IVRIDICA
QVAMDIV VALEAT TESTAMENTVM
MILITARE?

*Quis numerare queat felicitis praemia, Calle,
Militiae?*

IVVENALIS Satyr. ult. in princ.


§. I.

Argumentum dissertationis.

Quaestionem singularem iuris ciuilib, *quandiu valeat
testamentum militare?* pulchram illam pariter ac
utilem, totam, quanta quanta est, tenui hoc libello
tractare atque explicare constituimus. Quam opellam nostram
harum rerum intelligentibus non plane improbari, vehementer
cupimus.

A

S:



*Si enim quisquam est, qui placere se studeat bonis
 Quam plurimis, — —
 In his hic auctor nomen profitetur suum.*

Vt melius intelligatur, de quo futura sit nostra disputatio, sciendum est. I. Nos hic per testamentum militare intelligimus non omne testamentum militis, sed, quod iure militari conditum, seu, quod idem est, testamentum militare privilegiatum. Potest enim miles etiam iure communi testari, *L. 3. D. de testam. milit.*, immo debet, quantum ad formam externam attinet, si extra expeditionem constitutus est, *L. pen. C. eod. et pr. I. de milit. testam.* Itaque militis testamentum esse potest, quamvis non sit iure militari conditum. Elegans exemplum habemus in *L. 25. D. b. t.* Iam, si miles iure communi testatus est, testamentum eius quoque secundum ius commune diiudicari debet, adeoque etiam quaestio illa, quamdiu valeat tale militis testamentum, ex iuris communis praeceptis aestimanda est. At enim vero constat, testamenta iure communi facta olim quidem solo lapsu decenni exspirasse, *L. 6. C. Th. de testam. et codic.* secus autem esse iure nouo, *L. 27. C. de testam.* Quibus ita constitutis, testamentum militis iure communi factum iure Romano Iustiniano indeque apud nos in Germania solo lapsu temporis haud infirmari, sed semel legitime conditum perpetuam habere vim atque auctoritatem, palam est. II. Porro propositum nobis est, exponere de tempore, quo usque valeat testamentum militare, nulla omnino alia accedente causa, ex qua alias infirmari potest. Nam plures quidem sunt causae, ex quibus


quibus corruiere potest testamentum militare, quae et tantum non omnes proprii ac singularis quid habent, veluti, quod nudis verbis reuocari possit, *L. 15. §. 1. D. de testam. milit.* item, quod per capitis deminutionem minimam non fiat irritum, §. 5. *l. de milit. testam.* et quae sunt huius generis reliqua, sed has, quoniam a nostro instituto alienae sunt, missas facimus. III. Denique notandum est, nos de omnibus generibus testamentorum militarium, quorquor eorum in arte nostra occurrunt, ostensuros esse, quamdiu rata sint ac firma mancant. Bonum factum!

§. 2.

Fontes et scripta huius argumenti.

Fontes, e quibus quaestio proposita definienda est, suis locis in ipsa tractatione sigillatim a nobis indicandi sunt. In vniuersum autem notandum, eos praeter loca quaedam veterum scriptorum, ut *PLVTARCHI*, *CICERONIS* aliorumque, quae huc spectant, partim esse leges hac de re in voluminibus iuris Iustiniani a recentioribus editoribus sub nomine *Corporis Iuris Civilis* coniunctim exhibitis exstantes, partim analogiam iuris ciuilibus scriptum speciale super hoc argumento, quantum nos quidem scimus, non reperitur, nec in villo scriptorum, quae de testamento militari edita sunt, quaeque legere ac videre nobis contrigit, illud satis ac prout mereri videtur, tractatum inuenimus.

Scripta de testamento militari recensuit *MART. LIPENIUS*
in *Biblioth. real. iurid.* (edit. nouiss. Lips. 1757. fol.) et *V. C.*



AUG. FRID. SCHOTT in *Mart. Lipenii Biblioth. real. iurid. Supplem. ac Emendat.* sub titulis, *militare testamentum, et, testamentum in procinctu factum.* Sed huc quoque referendae sunt FERD. CHRISTOPH. HARPPRECHTI Diff. duae de *testamento pagani in hostico condito* Tübing. 1682. quae non solum EIVS *Dissert. acad.* Tübing. 1737. 4. mai. Vol. I. num. XLVIII. et XLIX. insertae reperiuntur, sed etiam exstant in EIVSD, *Tra-ctat. academ. de successiõibus.* Vlm. 1698. 4. Part. I. p. 553. Has dissertationes in bibliotheca Lipeniana minus recte sub titulo, *testamentum rusticorum,* collocatas legimus. Addere placet praeterea, quae nobis nota sunt, de testamento militari partim antiquiora partim recentiora scripta. Sunt autem haec:

- 1) ANDR. GERHARDI *Disp. de testamento militari.* In EIVS *Disput. de testamentis.* Jen. 1611. 4. n. XI.
- 2) GOTFR. SCHNEIDERI *Diff. de militari testamento.* Witteb. 1650. 4.
- 4) FRID. ES. PVENDORFII *de solemnitatibus, testamenti militaris.* In EIVS *Obseruat. iur. vniuers.* Tom. I. *Obs. CII.* pag. 282.
- 4) EIVSD. *de testamento militari ad pr. Inst. de milit. testam.* In EIVSD. *Obseruat. iur. vniuers.* Tom. III. *Obs. CLXXXVII.* pag. 497.
- 5) PAVL. PHIL. WOLFFHARDTI *Progr. de heredibus militum indignis.* Rintel. 1757. 4.
- 6) EBERR. CHRIST. CANZ *von dem Soldaten-Testamente. In der kurzen Beschreibung der bey höchsten Anwesenheit Sr. Herzogl. Durchl. Herrn Carls, regierenden Herzogs zu Würtemberg*

*
tenberg etc. zu Tübingen vom 28 October bis zum 3 December
1767. vorgegangenen academischen Feyerlichkeiten. Tübing.
1768. 4. n. VII. pag. 82.


- 7) GE. FRID. KRAVSII Progr. *Virum privilegium testamentarium militum eorum vxoribus sit commune?* Vitemb. 1773. 4.

Denique certo modo huc etiam pertinere videtur IO. GODOFR. BAVERI *Diff. de substitutione militari* Lips. 1728. quae a LIPE- NIO in *Biblioth. real. iurid.* sub titulo, *substitutio militaris*, allegata deprehenditur.

§. 3.

Ratio tractationis.

His praemissis, rem ipsam aggrediamur, et, quamdiu valeat testamentum militare, videamus. Duo omnino in toto iure nostro occurrunt testamenta militaria. Primum est, quod olim, etiam ante leges XII. tabularum, apud Romanos in usu fuit, testamentum in procinctu seu procinctum dictum (utrumque enim recte se habet et latinum esse videtur,) §. 1. *I. de testam. ord.* THEOPHILVS in *Paraphras. Instit. b. l.* Exempla sunt apud PLVTARCHVM in *vita Coriolani* (edit. Londinens. 1723 4.) *Vol. II. p. 62.* et, quod ultimum est, apud VELLEIVM PATERCVLVM *Lib. II. cap. 5.* At vero hoc testamentum militare, quum maxime auspicali iure niteretur, cum ipsis auspiciis bellicis in desuetudinem abiit, ut haud obscure indicat CICERO *de Nat. Deor. Lib. II. cap. 3.* Eius naturam et indolem egregie



more suo descripsit V. C. AVG. FRID. SCHOTT in *Diss. epist. de testament. in procinctu facto, ad illustr. §. 1. Inst. de testam. ord.* Lips. 1764. 4. quae EIVS *Opusc. iurid.* Lips. 1770. 8. editis p. 126. inserta reperitur. Alterum testamentum militare est, quod Principum constitutionibus invaluit, variasque vicissitudines tum iure Romano tum iure Germanico expertum est et ita demum ex utroque iure mixtum hodie adhuc in Germania obtinet ac viger, prout testantur doctores, qui de praxi testari possunt, veluti SAM. STRYK in *Uf. Modern. Pandect. hoc tit. et in Tract. de cautelis testam. Cap. IX.* quod totum est *de testamento militari*, 10. HENR. BERGER in *diss. de privileg. milit. circa testam. §. XXVI.* V. C. 10. STEPH. PÜTTER in *den auserlesenen Rechtsfaellen 1 Theil p. 526.* et *Illust. AVCT. ANON. der Beytraege zu der iuristischen Litteratur in den Preussischen Staaten* (3. Samml. Berl. 1779. 8.) p. 41. Liceat nobis posterius doctrinae causa *testamentum militare recentius* appellare, in cuius oppositione prius, ni proprio nomine iam insignitum esset, *testamentum militare antiquum* recte vocaueris. Iam de utroque testamento militari quum quaeri possit ac soleat, quamdiu valeat? nos in exponenda hac quaestione ita versabimur, ut primo loco de testamento in procinctu facto et deinde de testamento militari recentiori differamus.

Caue, ne confundas duo haec testamentorum militarium genera quippe quae multum inter se differunt, Errant itaque, qui
ut

VT MATTH. WESEMBECCIUS in *Comment. ad Inst. de milit. testam.* et GERHARDI in *Disp. de testam. milit.* §. 25. testamentum militare recentius a testamento in procinctu facto originem suam duxisse putant. Vid. SCHOTTI EIVS *Diff. cit. in fine*, et in *Opusc. p. 162.*

Ad historiam testamenti militaris recentioris cognoscendam faciunt potissimum VLPiani *Fragm. tit. XXIII. §. 10. L. 1. et L. 44. D. de testam. milit. L. unic. D. de bonor. poss. ex testam. milit. L. pen. C. de testam. milit. pr. 1. de milit. testam.* nec non Maximil. ann. 1512. *tit. von Testamenten §. 2.* quam glossae ad §. 1. *Inst. h. t.* originem debere, iam obseruauit VIGL. ZVICHEMVS in *Comment. in X. tit. Inst. iur. ciuil. p. 83.*

§. 4.

Quamdiu ratum fuerit testamentum in procinctu factum?

Primum itaque ad testamentum in procinctu factum quod atinet, illud non ultra tempus periculi ratum fuisse videtur. Fiebant enim testamenta in procinctu a militibus non nisi praesentissimo mortis periculo, quum in praelium exituri essent, vt IUSTINIANVS auctor est in §. 1. *I. de testam. ord.* et plura veterum testimonia luculenter confirmant. Extra periculum et cinctum Gabinum iure ordinario testabantur milites, et antiquitus quidem in calatis comitiis, postea autem per aes et libram aut iure praetorio, de quibus omnibus plenissime exposuit ALB. DIET. TREKELLIVS in *Tract. de origine atque progressu testamentifactionis praesertim apud Romanos*, qui Lipsiae 1739. 4. prodijt cum

cum praefatione GEBAVERI. Haec quum ita sint, admodum verosimile est, eiusmodi testamentum non ultra periculum, in quo conditum fuerat, valuisse, sed testatore e praelio incolume evaso, totum instar mortis causâ donationis, quae intuitu praesentis periculi facta est (*L. 2. D. de m. c. donat.*) corruisse. Quam coniecturam nostram calculo doctissimorum virorum CHRIST. THOMASII in *Diss. prima initia success. testam. apud Romanos §. XXVII. 10.* GOTTL. HEINECCII in *Syntagm. Antiquit. Rom. iurisprud. illustr. Libr. II. tit. X. §. 17.* TREKELII in *cit. Tract. Cap. II. §. XXIII.* et, qui primo loco nominandus fuisset, V. C. SCHOTTI in *Diss. laud. in eius Opusc. p. 158.* comprobata legimus.

§. 5.

Quamdiu valeat testamentum militare recentius?


Haec de tempore, quousque ratum fuisse videtur testamentum in procinctu conditum. Progredimur nunc ad testamentum militare recentius. Hoc iterum duplex esse, constat. Nimirum factum est vel a milite, id est, ab eo, qui in numeros relatus est, ut cum ULPIANO *L. 42. D. testam. milit.* loquamur, vel a non milite seu pagano, aut iure militari, *L. 44. D. testam. milit. L. unic. D. de bonor. poss. ex testam. milit.* Prius testamentum militare in specie, posterius testamentum quasi militare doctrinae ac brevitaris causa dicturi sumus. Differunt duae hae species testamenti militaris recentioris potissimum habita ratio.

ratione durationis, ipso farente, acerrimo huius rei hoste, FERD. AUG. HOMMELIO in *Diss. de differentia exigua inter testam. milit. et testam. pagani in hostico conditum* §. XXXIII. Quodsi igitur quaeritur, quamdiu valeat testamentum militare recentius, ante omnia distinguendum est, vtrum de testamento militari in specie sic dicto, an vero de testamento quasi militari quaestio sit. De utroque vt sigillatim tradamus, necesse esse viderur.

Testamentum militare recentius, quod et intelligitur, si de testamento militari simpliciter sermo est, in latiori significatione acceptum est *ultima voluntas iure militari condita*. Genus in hac definitione est *ultima voluntas*. Nullum enim est discrimen inter testamentum militare et codicillos militares, quia et codicillis heredes derecte instituere licet militibus, teste PAULO L. 36. pr. D. de *testam. milit.* quae quidem res alias efficit, ut testamentum in sensu stricto et proprio differat a codicillis L. 10. D. de *iure codicill.* §. 2. l. de *codicill.* Differentia specifica est *iure militari condita*. Nam et militem iure communi, L. 3. D. de *testam. milit.* et paganum iure militari testari posse, L. 44. D. eod. tit. et L. unic. D. de *honor. poss. ex testam. milit.* nullum dubium est. V. C. IO. AUG. HELLFELD in *Iurisprud. forens. secund. Pandect. ord.* §. 1474. et plures iuris ciuilis interpretes testamentum militare ita definiunt, quod sit *testamentum ab iis conditum, quod in expeditione bellica sunt constituti*. Sed minus recte, si quis videmus. Primum enim sub testamenti nomine intelligenda est *ultima voluntas*, quia, ceu ante iam monuimus, nulla intercedit differentia inter testamentum
B
mili.

militare et codicillos militares. Deinde non nisi de testamento militari in specie sic dicto accipi potest ista definitio, propterea quod milites tantum in expeditione bellica constituti dicuntur, *L. pen. C. de testam. milit. pr. I. de milit. testam.* quum pagani contra iure militari testantes in hostico esse dicantur, *L. 44. D. eod. tit. et L. un. D. de honor. possess. ex testam. milit.* Attamen pagani etiam iure militari testari possunt per modo citatas leges. Neque exigua est differentia inter esse in expeditione et esse in hostico. Nam in expeditione constituti dicuntur milites non solum illi, qui sunt in ipsa acie atque confliatu, sed omnes, qui parati sunt ad configendum cum hoste, quandounque casus ingruat, germanice, *die zu Felde*, oder, *in Campagne sind*. Expeditio itaque est totum illud tempus, quo milites in armis procedunt, aut sunt aduersus hostem, siue eum persequantur, siue eundem imminentem expectent, intenti ad opportunitatem rei gerendae, siue mari siue terra, vel ut inuadant vel ut inuadentem sustineant ac propulsent. Ita rem exponit VINNIUS in *Comment. ad pr. Inst. tit. de milit. testam.* Hinc, qui in hibernis aut praefidiis sunt qua tales considerati in expeditione constituti dici nequeunt, bene monente BACHOVIO in *Notis ad Teutler. Vol. II. disp. 10. th. 6. lit. c.* Ab hostibus capti iure romano testari plane non possunt, ut ULPIANVS nos docet *L. 10. D. de testam. milit.* qua de re conferri meretur elegantissima GERG. MAIANSII *Disp. de testamento facto apud hostes*; in *EIUS Disputat. iuris* (Lugd. Batav. 1752. 4.) *Tom. I. n. XXXI.* extans; quod tamen hodie non obtinet. In hostico contra degere dicuntur pagani, qui sunt in loco, ubi cum hoste configitur, *L. ult. D.*

de testam. milit. et L. un. D. de honor. poss. ex testam. milit.
 Vid. HARPPRECHTI *Diss. de testamento pagani in hostico
 condito §. LIX. sq.* Denique notandum est, testa-
 mentum militare in specie sic dictum privilegiatum esse,
 etiamsi miles non sit in expeditione bellica constitutus habita
 nempe ratione formae internae. Nam, olim quidem milites quo
 cunque tempore, siue in expeditione essent siue non, iure milita-
 ri testari poterunt, teste THEOPHILO in *Paraphras. Instit. hoc
 tit.* IVSTINIANVS Imp. autem L. pen. C. de testam. milit. san-
 xit, solis militibus, qui in expeditionibus occupati sunt, me-
 moratum indulgere circa vltimas voluntates conficiendas benefi-
 cium. Haec priuilegiū militum restrictio ad expeditionum tem-
 pora ab Imperatore non vniuersaliter facta est, sed ad formam
 testamenti externam tantum pertinet, vt manifesto apparet ex
 pr. §. 1. et §. 3. I. de milit. testam. ac proinde omnia, quae an-
 teriorum principum indulgentia circa formam internam militi-
 bus erant concessa, salva manserunt, adeo vt, siue miles in ex-
 peditione constitutus iure militari, siue citra expeditionem iure
 communi testaretur, testamentum eius intuitu formae internae
 solemnitatibus iuris ciuillis solutus esset. Ex quo simul patet,
 Tribonianismum esse oportere, quod huius] coarctati priuilegii
 mentio fit in L. 1. et L. 15. C. de testam. milit. vt docuere HUB.
 GIPHANIUS ad d. L. 1. HUG. DONELLUS in *Comment. Lib. VI.
 Cap. 28.* IAN. a COSTA ad pr. *Inst. de milit. testam.* quibus iung.
 ANT. SCHULTINGII *Iurisprud. Anteiustin.* p. 648. Quae
 quum ita sint, iure Iustiniano testamenti militaris in specie sic
 dicti haec est conditio. Pone, militem testari, is vel est in expe-



ditione bellica constitutus vel non. Si prius, ipse testamentum privilegiatum est tam quoad formam externam quam quoad formam internam. Sin autem posterius, tantum quoad formam internam, sicque omnes solemnitates testamentorum paganorum observare tenetur. Quae quidem doctrina, ut et legibus nititur et iuris rationi satis consentanea sit, tamen a plerisque iuris interpretibus reprobatur, quippe qui militibus extra expeditionem constituto nullum privilegium testandi competere sibi persuadent. Ne desint auctores, qui nostram defendunt sententiam, vid. IAC. FRID. LUDOVICI *Doctr. Pandect. hoc tit. §. III.* HOMMELII *Diff. cit. §. XXV.* Ita res sese habet iure Romano. In *Constit. Maximil. ann. 1512. tit. von Testamenten §. 2.* tres distincti sunt casus. Primus est, si milites tantum in castris degunt, *Ritter, die zu Felde und doch nicht im Streit sind*, qui duo ad minimum testes adhibere debent, si vel maxime in scriptis testentur. Secundus casus est, si in acie sunt, *die in Uebung des Streits sind*, qui quocunque modo velint, *wie sie wollen*, ut ibi dicitur, id est, absque omnibus solemnitatibus externis iuris civilis sanctione necessariis testamentum suum facere possunt. Tertius denique casus est, si milites nec in castris nec in praelioprehenduntur, *die nicht in solcher Uebung und Streit, noch auch zu Felde liegen*, qui secundum ius commune testari tenentur. Ceterum vocabulum *Ritter* in dict. *Constit.* non de ordine, sed de officio intelligendum. [Atque secundum hanc distinctionem hodie milites, vti nam suam voluntatem condere debent. Vid. STRYRII *Vf. Modern. Pand. hoc tit. §. III.* EIVSDEM, *Tract. de Cautel. testam. Cap. IX. §. XII.*

II. Ve-

Vera ratio testamenti militaris in specie sic dicti, saltem, si originem rei spectemus, nobis esse videtur, ut homines allicerentur ad militiam et eo lubentius nomina darent. Plura vid. apud IO. GOTTL. HEINECCIUM in *Addit. ad Vinnii Comment. ad Inst. hoc tit.* et IO. GODOFR. SCHAUMBURGIUM de *Constitut. Imperator.* (Lengov. 1735. 4.) p. 60.

Duo testamenta militaria in specie ita dicta nobis exhibet FRANC. BALDUINUS in *Comment. ad Inst. tit. de milit. testam.* quorum alterum in Lusitania relictum a Iocundo VIII. Kal. Quintil. bello Viriatio, alterum notis conscriptum (haec enim adhiberi poterant in testamento militis, L. 40. pr. D. de testam. milit. secus ac in pagani, L. 6. §. f. D. de bonor. possess.) Romae repertum. Prius reperitur quoque in BARN. BRISSONII Opere de *formulis* (edit. noviss.) p. 643. et BERGER illud coronidis loco Diss. suae de *privileg. milit. circa testam.* adiici curavit. Nos vero utrumque hic e BALDUINO descriptum conspiciere lectoribus non ingratum fore putavimus.

IOCUNDI TESTAMENTUM MILITARE

Ego Gallus Fauonius Iocundus, P. Favonii. F. qui bello contra Viriatum occubui, Iocundum et Prudentem filios, e me et Quintia Fabia coniuge mea ortos, et honorum Iocundi patris mei, et eorum, qui mihi ipsi acquisivi, haereditas relinquo: hac tamen conditione, ut ab vrbe Roma huc veniant, et ossa hinc mea intra quinquennium exportent, et via Latina condant in sepulchro iussu meo condito et mea voluntate. In quo velim neminem mecum, neque servum, neque libertum inseri. Et velim

B 3

ossa

ossa quoruncunque, sepulchro statim meo eruantur, et Iura Ro-
 ferentur in sepulchris ritu maiorum retinendis iuxta voluntatem
 testatoris. Et si fecus fecerint, nisi legitima oriantur causae, ve-
 lim omnia, quae filiis meis relinquo, pro reparando templo Dei
 Sylvani, quod sub Viminali monte est, attribui: manesque mei
 a Pont. Max. et a Flaminibus Dialibus, qui in Capitolio sunt,
 opem implorent ad liberorum meorum impietatem vlciscendam.
 Teneanturque Sacerdotes Dei Sylvani me in Urbem referre, et in
 sepulchro meo condere. Volo quoque Vernas, qui domi/meae
 sunt, omnes a Praetore Urbano liberos cum matribus dimitti,
 singulisque libram argenti puri et vestem vnam dari.

IN LUSITANIA, IN AGRO, VIII. CALEND.


QUINTILES BELLO VIRIATINGO.

SEMFRONII TEST. MILIT.

D. O. M.

L. MALLIO ET Q. TORQUATO COSS.

Sempronius Tucidanus testament. Iur. mil. quod ipse facio. LL. ab-
 esto ob Paenum Italia pulsum. Fund. Baleares Senatui P. Q. R.
 D. D. Aurelius Tucidanus tacitam pecu. si via Lat. oss. meis re-
 monumentum suo sump. aedificauerit, habeto. Hermeti lib.
 Aug. vind. Ma. Aur. Ex. D. Da. Sunt Lyciae agresti vxo. bene.
 me. mundum mulieb. Quaeue E. Ca. Pa. D. L. Caius Tucida-
 nus, quod pupillam, cuius iussu meo cu. ge. contra decretum
 ampliff. ord. vxo. D. ex. esto. Dodrant. Lucio Celso Testament.
 quod




quod Elapho scripseram, adi. Pamphilo vicario pecu. ti. instru-
ment. rusti. quod Epiro parauer. Liberve. Hered. da. sunt filii,
si nepotes mihi non fecerint, Marcellus Tucidanus, ex dam-
sunt. Cohi. haered. quae lego. o. esto.

§. 6.

*Quandiu valeat testamentum militare in specie sic dictum a) si te-
stator miles manet?*

Testamentum militare in specie sic dictum conficitur a mi-
lite per §. præc. Iam vero testator aut miles manet aut esse talis de-
finit. Priori in casu, testamentum eius in perpetuum valet,
nec depulso periculo aut finita expeditione valore suo cadit. Pri-
mum enim certi et explorati iuris est, testamentum semel legiti-
time conditum perpetuam retinere vim atque auctoritatem, nisi
aliud speciatim cautum deprehendatur, quemadmodum infra de
testamento quasi militari sancitum accipiemus, vel causa quaedam
accedat, ex qua alias infirmari potest. Enimvero prius de testa-
mento militari in specie sic dicto, si testator miles manet,
nullibi in legibus statutum, invenimus, & de posteriori, puta
de modis, quibus alias infirmari possunt testamenta militaria, in
praesenti nobis sermo non est per supra monita not. II. ad §. 1.
Deinde utimur argumento ex *L. 26. pr. D. de testam.
milit.* et §. 3. *I. de milit. testam.* ducto. Quod si enim
testamentum militare in specie sic dictum valet adhuc intra
annum post missionem honestam vel causariam, consequens est,



ut tam diu saltem valeat, quamdiu testator in numeris manet. Atqui verum est prius, uti mox pluribus demonstrabimus, ergo ut et posterius verum sit, necesse est. Idem denique confirmat et ULPIANVS in *Fragm. tit. XXIII. §. 10.* et *L. 5. C. de testam. milit.* Qua quidem in re etsi consentientes habemus multos eosque egregios iuris civilis interpretes, utputa WOLFG. AD. LAUTERBACHIVM in *Colleg. theoret. pract. tit. de testam. milit. §. XX.* HOMMELIVM in *Diff. cit. §. XXXIII.* et in primis Perill. FRID. ES. de PVENDORF in *Observat. Iur. univers. Tom. III. Obs. CLXXXVII*; sunt tamen præcipue antiquiores doctores, ut ANGELVS, ROMANVS, CORNEVS, RIMINALDVS ad *L. 15. C. de testam. milit.* qui putent, militis testamentum non aliter valere, quam si in praelio, in quo illud confecit, vel statim postea decesserit per dict. *L. 15.* ibi: *sub ipso tempore, quo in praelio vitæ sortem relinquunt*, adeo ut GVIL. BENEDICTVS ad *Cap. Raymutius. verb. testamentum. p. 149. n. 21. X. de testam.* contendat, quod, si miles in praelio thetaliter vulneratus, postea tamen tanto tempore in perfecta et sana mente vixerit, ut facultatem habuerit de novo testandi, eius testamentum non toleretur, quod etiam probat ALEXANDER de IMOLA et ANGELVS de PERVS. ad *d. L. 15. C. testam. milit.* Addat. LEOPOLD. HACKELMANN in *Disp. XVI. thes. 13. lit. g.* At vero hæc sententia aperte falsa est. Manifesto enim repugnat omni analogiæ iuris, nec ulla ratione ex cit. *L. 15.* colligi potest. Confirmat dict. constitutio, CONSTANTINI Imp. quod Iureconsultus


PAVLVS

PAVLVS L. 40. pr. D. de test. milit. quaerenti al'cui respondit, militibus quoquo modo velint, & quo modo possunt, testamentum facere concessum esse: ita tamen, ut hoc ita subsecutum esse, legitimis probationibus ostendatur. Quod adeo verum esse, dicit Imperator, ut, si quid in vagina aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo ipso tempore quo in praelio vitae sortem derelinquunt, huiusmodi voluntatem stabilem esse oporteat. Ex quo, quam absurda sit ista sententia, in aprico esse putamus. Talia nobis legentibus in mentem venire solet, verum esse de Iureconsultis, quod de philosophis aliquando dixit CICERO, nihil esse tam absurdum, quod non dictum fuerit a philosopho. Ceterum vid. HARP-
PRECHTI *Diff. cit.* §. XCV. et HOMMELII *Diff. cit.* §. XXXIII.

Romae olim confecto bello mittebantur milites, sed a Ciceronis inde temporibus militiam perpetuam factam esse legimus, qualis sub Caesaribus deinde reperitur. Inprimis AVGVSTVM militem perpetuum instituisse, auctor est DIO CASSIVS *Lib. LII. p. 482.* Vid. IO. AVG. BACHII *Histor. iurispr. Roman. Lib. II. Cap. I. §. XXXIV. et Lib. III. Cap. I. §. XXX.* In Germania miles perpetuus invaluit potissimum regnante LEOPOLDO Imp. post pacem Noviomagenem, ansam huic rei praebente LYDOVICO XIV. Franco-Gallorum rege. Vid. IOH. HENR. CHRIST. von SELCHOW *Grundriff der teutschen Reichsgeschichte* §. 505.

C



§. 7.



§. 7.

Quamdiu valeat testamentum militare in specie sic dictum b) si testator miles esse definit?

Sequitur nunc casus posterior §. antec. commemoratus, scilicet, quousque valeat testamentum militare in specie sic dictum, si testator miles esse definit. Testator autem miles esse definit morte vel alio modo. Si prius, absurdum foret, quæ-
rere, quamdiu valeat ipsius testamentum, quum morte testato-
ris demum confirmetur testamenta per notissima iuris civilis
principia. Sin posterius, iterum duo modi sunt, quibus milita-
re definit miles, missio nempe et successio. Ac primum quidem, si
testator missus est, aut honestam vel causariam missionem impetra-
vit, aut ignominiae causa missus est, Priori in casu testamentum eius
post missionem adhuc per annum valet, eoque elapso demum infir-
matur, posteriori autem in casu statim valere definit. Pertinet huc lo-
cus *ULPIANI in Fragment. tit. XXIII. §. 10.* Plenius autem
rota haec res tractatur in ipsis libris iuris Iustiniani. Iurecon-
sultus enim *MACER L. 26. pr. D. de testam. milit.* sic scribit:
Testamenta eorum, qui ignominiae causa missi sunt, statim desti-
nant militari iure valere: quod anni spatium testamentis eorum,
qui honestam vel causariam missionem meruerunt, tribuitur.
Verba: *quod anni spatium*, ad praecedentia se referunt, quae
tamen hic non leguntur, nec sensum turbant. De cetero
clara sunt omnia. Porro Imperator §. 3. *I. de milit. test.* ita ait:
Et quod in castris fecerint (militēs) testamentum, non communi
iure,

 ✠ 

inve, sed, quomodo voluerit, post missionem intra annum tantum valebit. Totus hic Sphus est de militibus nec ad solos mutos et surdos, de quibus §. proxime praeced. agitur, referendus est, sed ad quoscunque pertinet. *In castris* hoc loco idem est ac in expeditione. Nam, quod *pr. I. eod.* de iis dictum, qui in expeditionibus occupati sunt, hoc paragrapho de his dicitur, qui militant et in castris degunt. Ceterum missionem intelligi oportet non ignominiosam, sed honestam vel causariam. Conf. BALDVINI et VINNII *Comment. ad d. §. Instit.* Idem denique comprobant *L. 17. §. ult. L. 21. L. 38. D. de testam. milit. L. 7. D. de iniust. rupt. irrit. facto test. L. 17. L. 92. D. ad leg. Falcid. et L. 5. C. de testam. milit.* Singulare itaque est privilegium militum, qui honestam vel causariam missionem impetrarunt, quod eorum testamenta post missionem adhuc intra annum valeant; quo indigni sunt, qui ex causa ignominiosa missi sunt, quum ita dimissi similes existimentur his, qui nequaquam militaverunt adeoque nec illo militum privilegio gaudere possint, *L. 8. §. 1. D. de excusat.* Accedit, quod idipsum non delinquentibus sed merentibus beneficii loco tributum sit, *L. 26. §. 1. inf. L. 8. C. de re milit.* Ignominiosam vero missionem passi utique deliquerunt, *L. 13. §. 3. D. de re milit.*

Milites aliter quam per mortem duplici modo tales esse desinunt, missione scilicet vel per successionem. Et missione quidem militare desinunt gregarii et si quis alius est usque ad centurio-

nem, ceteri vero per successionem, quales sunt præter centuriones duces exercitus, tribuni cohortium aut legionum, præfecti castrorum et similes. Hi enim non mittuntur sed iis successor datur. Illi simul ac missionem acceperunt, militare desinunt, hi simul atque successor eorum in castra venit. Ceterum hos iure militari testari posse, quamdiu exercitui, legioni aut cohortibus præsent, nos non dubitare sinunt L. 20. L. 25. D. de testam. milit. L. 4. C. eod.

Missio militum est triplex honesta, causaria et ignominiosa. *Honesta* est, quae tempore militiae impleto datur. Non semper idem fuit militiae tempus apud Romanos, L. ult. C. de his qui non implet. stipend. Interdum ante indulgebatur, quo casu *gratiosa* vocatur, vid. LIVIVM Lib. 43. c. 16. *Causaria* est, quum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiae renunciat. *Ignominiosa* denique est, quando miles propter delictum sacramento militiae solvitur, L. 13. §. 3. D. de re milit. L. 2. §. 2. D. de his qui not. infam. Insigne missionis ignominiosae exemplum exstat apud HIRTIUM in bello Afric. Cap. 54. vid. PET. FABER Lib. I. Semestr. Cap. 17. et LIPSIVS in Lib. I. Annal. Taciti. Plura de hac re habet IO. VOET de iure milit. (ex edit. FISCHERI Francof. et Lips. 1758. 8.) p. 269. Honestè vel ob aliam iustam causam missi *veterani* dicuntur, qui variis privilegiis ornati sunt, de quibus vid. tit. D. et C. de Veteranis ibique interpretes.


In eo potissimum differt testamentum militare ab aliis testamentis privilegiatis. Doctores vulgo argumentum ducunt a testamento

mento militari ad testamentum tempore pestis^o conditum inde-
que hoc post annum valorem suum amittere defendunt, inter
quos eminent GE. AD. STRVV in *Syntagm. Jur. Civil. Exercit.*
XXXII. §. 21. Sed id falsum esse, iam vidit CARPZOV. *Part. III.*
Constit. IV. def. 5. Ceterum videtis Interpretes ad tit. I. D. et
C. de testam. milit.

§. 8.

*Quid, si testator intra annum decesserit, conditio autem heredi
adscripta post annum demum extiterit?*

Neque vero impedit, quominus valeat testamentum mili-
tare in specie sic dictum, si testator intra annum missionis de-
cesserit, quamvis conditio heredi adscripta post annum demum
extiterit. Quod ut melius intelligatur, hanc ponamus speciem.
Titius miles testamentum fecit militare, et heredem instituit Sem-
pronium, his verbis: Sempronius heres esto, si navis redierit
ex Asia. Postea Titius ob aduersam valetudinem mittitur et ab
eo tempore intra annum moritur, post annum vero navis ex
Asia redit. Quaeritur, utrum Sempronio debeat hereditas
Titii? Respondetur, quod sic. Tractat hanc quaestionem
PAULUS L. 38. pr. D. de testam. milit. Quod dicitur, inquit,
*si miles intra annum, quam missus est, decesserit, valere eius te-
stamentum, quod iure militari fecerat, verum est, etiam si post
annum conditio institutionis extiterit, mortuo eo intra annum.*
Pergit Iureconsultus rem exemplo illustrans a substitutione peti-
to, quippe quae omnis (loquimur autem de directa) involuit con-



ditionem. Et ideo, si heredi filio substituerit, nihil interest, quando filius moriatur: sufficit enim patrem intra annum obiisse. Ex quo loco PAVLI defuntum est, quod Imperator hanc in rem profert §. 3. in f. I. de milit. testam. Quid ergo si intra annum deceaserit, conditio autem heredi adscripta post annum extiterit? an quasi militis testamentum valeat? et placet valere quasi militis. Vocabulum placet, indicat, disputatum fuisse olim inter veteres prudentes, vtrum eiusmodi testamentum post annum adhuc ratum haberi possit. Quidam illud negasse videntur sine dubio hac ex ratione, quod tale testamentum post annum demum valere incipiat. Sed obtinuit affirmantium sententia, quam et Imperator noster consensu suo adprobavit. Et haec quidem sententia analogiae iuris apprime est consentanea, quia conditio heredis institutioni adiecta quandocunque existens retrotrahitur ad tempus mortis testatoris atque adeo perinde habetur, ac si ab initio pure facta fuisset institutio, L. 26. D. de condit. instit. L. 11. §. 1. D. qui pot. in pign. L. 8. D. de pericul. commod. rei vend. de quo et ceterum conf. 10. IVST. RAVENSBERGII Opusc. de conditionibus convent. et ult. volunt. (Ien. 1752. 8.) Cap. 17. §. 19.

§. 9.

An idem dicendum sit de iis, qui successoribus acceptis militare desinunt?

An quod §. phis antecedentibus de missis disputauimus, de iis quoque dicendum sit, qui non missione sed acceptis successoribus

bus militare desinunt, dispiciamus. Audiamus AFRICANUM
 L. 21. D. de testam. milit. de hac re ita dicentem: *Quod consti-
 tutum est, ut testamentum militiae tempore factum, etiam intra
 annum post missionem valeret, quantum ad verba eius, ad eos
 duntaxat, qui mitti solent, id beneficium pertinere existimavit:
 secundum quod neque praefectos neque tribunos aut ceteros, qui
 successoribus acceptis militare desinunt, hoc privilegium habitu-
 ros.* Desumptum est hoc fragmentum ex libro quarto Quaestio-
 num AFRICANI VI inscriptio docet. Attamen in CAR. ANNIB.
 FABROTI *Basilicorum* editione haec lex cum L. 25. D. eod. confun-
 ditur et nomen Marcelli praefert, quem Graecorum errorem,
 vti plures alios, notavit IO. GUIL. HOFFMANN in *Melet. ad Pan-
 dect. hoc tit.* Ad legem ipsam quod attinet, respondit Iurecon-
 sultus, non pertinere ad hos, sed statim atque successorem acce-
 perint, eorum testamenta valere desinere. Ait autem, non per-
 tinere, quantum ad verba attinet, quippe quae de missis lo-
 quuntur, non de his, quibus successor datur. Nulla tamen
 ratio est, cur dubitemus, quin etiam ad eos pertineat illud be-
 neficium, si mentem et sententiam constitutionum spectemus.
 Cur enim verba legum captemus? Aut quid refert in pro-
 posito, vtrum per missionem, an accepto successore militare
 quis desinat? Similiter certe edictum de iis, qui notantur infamia,
 quod de missis loquitur, ad eos quoque extendi legimus, qui-
 bus successores dantur. Atque hanc etiam fuisse mentem AFRI-
 CANI,

CANI, credimus. Quid enim opus fuisset addere: *quantum ad verba*. Consentiant nobiscum IAC. CUIACIUS *ad Africanum tract. 4 ad d. L. 21. VINNIUS in Comment. ad §. 3. Inst. de milit. testam. 10. VOETIUS in Comment. ad Pandect. hoc tit. §. 10.* Dissentit ANT. MERENDA *in Controuers. Iur. Lib. VI. Cap. 9. §. 18.* sed sine solida ratione.

§. 10.


Quid, si testator missus, iterum militiae nomen det?

Si testator missus iterum nomen det militiae, quaeri non absurde potest, utrum testamentum eius, quod in priori militia fecit, adhuc valeat? Quae quidem quaestio ex iis, quae hactenus a nobis sunt tradita, facili negotio diiudicari atque explicari poterit. Etenim testator vel honeste aliave iusta ex causa missus est vel ignominiae causa. Si prius aut intra annum missionis rursus cinctus est, aut post annum. Illo in casu, testamentum, quod in priori militia fecit, vim suam nondum amiserat per dicta §. 7. ergo etiam in secunda militia valeat, nihil obstat; potius vim et potestatem suam retinet, quamdiu testator miles manet, imo post consecutam missionem, honestam vel causariam adhuc intra annum valebit per ibidem exposita. Hoc autem in casu, testamentum eius in secunda militia amplius valere nequit, propterea quod elapso anno post missionem vim suam amiserat. Sin denique posterius, videlicet, si ignominiae causa missus testator, et, fama restituta, rursus cinctus est, testamentum eius in

in priori militia conditum in secunda validum dici nequit, quoniam statim simulac ita dimissus erat testator, valere desierat. Quam ob rem, si miles duobus hisce posterioribus casibus intestatus decedere non vult, de novo testamentum facere debet, licet, si prius valere malit, sufficiat, si verbis aut factis declarer, se velle, ut valeat, *L. 9. §. 1. L. 20. §. 1. L. 25. D. de testam. milit. §. 4. I. de milit. test.* Pertinet huc elegans locus in *L. 38. §. 1. D. de testam. milit.* vbi PAVLVS de hac quaestione ita scribit: *Miles testamentum fecerat: deinde non ignominiae causa missus, rursus cinctus est in alia militia. Quaerebatur, an testamentum eius, quod in militia fecerat, valeret? Quaesui, utrum iure militari, an communi testatus est? et si quidem communi iure testatus est, nulla dubitatio est, quin valeat; sed si ut miles fecisset testamentum, agitare (i. e. cogitare) coepi, quando adsumptus fuisset, postquam desuit in numeris esse, utrum intra annum, an post annum? Cognoui, intra annum adsumptum: ergo si, cum adhuc iure militari valeret, rursus eodem iure posset testari, numquid etiam post annum eo mortuo valeat testamentum? Me movebat, quod alia militia est posterior. Sed humanius est dicere, valere testamentum, quasi coniuncto munere militiae.* Adicit denique: *Non loquor de eo, qui voluit valere testamentum etiam adsumptus: hic enim quasi in militia sequenti fecit testamentum, exemplo eius, qui paganus fecit, deinde militare coepit.* Hic locus nulla indiget explicatione: nam liquent omnia.

D

Igno



Ignominiose missi infamia notantur, *L. 1. pr. L. 2. D. de his qui not. infam.* Infames autem militare non possunt, ut Iureconsultus docet *L. 4. §. 1. 4. D. de re milit.* Idcirco ita ab exercitu dimissi iterum in numeros recipi nequeunt, nisi fama ipsi fuerit restituta, de quo confer: IO. STEPH. WAGA *de poenis militum ignominiosis et de restitutione famae militum per vexillum*, recuf. Lips. 1744.


§. 2.

Quamdiu valeat testamentum quasi militare?

Sufficiant haec de tempore, quousque valeat testamentum militare in specie sic dictum. Superest, ut et, quamdiu valeat testamentum quasi militare, videamus. Atque hoc quidem statim expirat, simulac testator ex hostico salvus excesserit. Ea enim est testamenti quasi militaris indoles, ut non aliter ratum habeatur, quam, si testator in hostico, ubi illud confecerit, quoque decesserit. Non nisi duo de hoc themate existant loca iuris ciuilib. Vterque locus est *ULPIANI*. Alter ex eius libro quadragesimo quinto ad Edictum desumptus *L. 44. D. de testam. milit.* continetur. *Rescripta principum ostendunt*, inquit, *omnes omnino, qui eius sunt gradus, ut iure militari testari non possint, si in hostico deprehendantur, et illic decedant, quomodo velint et quomodo possint, testari: siue Praeses sit prouinciae, siue quis alius, qui iure militari testari non potest.* Alter ex eodem Iureconsulti libro in Pandectas relatus *pr. L. un. D. de bonor. poss. ex testam.*

testam. milit. ampliore hoc verborum complexu constituit. Non dubium est, quin debeant ratae voluntates esse eorum, qui in hostico supra iudicia sua quoque modo ordinassent, ibidemque diem suum obissent. Quamquam enim desit conditio militum ab his personis, quas constitutiones principales separant, tamen qui in procinctu versantur, cum eadem pericula experiantur, iura quoque eadem merito sibi vindicant. Omnes igitur omnino, qui eius sunt conditionis, ut iure militari testari non possint, si in hostico deprehendantur, et illic decedant, quomodo velint, et quomodo possint, testabuntur: siue Praeses quis sit provinciae, siue Legatus, siue quis alius, qui iure militari testari non potest. De lectione huius legis conferri meretur CHR. HENR. ECKHARDI *Hermeneut. Iur.* (edit. cum notis V. C. CAR. FR. WALCHII Lips. 1779. 8.) p. 522. Ceterum ex utroque loco ULPIANI luculenter patet, verum esse id, quod diximus. Quae aduersari videntur, diligenter recensuit ac refellit HARPPRECHT *cit. diff. §. XCIII.* quare iis repetendis immorari nolumus. Hoc certum est, illud privilegium anni, quod militibus honeste vel caesariensis indultum est, ad paganos iure militari testantes haud pertinere. Plura qui desiderat, adeat primarium de hoc argumento scriptorem, HARPPRECHTIUM *cit. Diff. §. XCIV. seqq.*

Ab initio solis militibus datum erat hoc testandi privilegium, postea autem illud principali indulgentia (rescriptis Antoninorum Imp. si coniecturae locus est,) ad omnes, qui eius conditionis sunt,



sunt, ut iure militari testari non possint, extensum est. Vnde originem coepit testamentum quasi militare seu pagani in hostico conditum, ut ab aliis vocari solet. Supponit vero lex, 1) ut in hostico deprehendantur et, 2) ut illic decedant. *L. ult. D. de testam. milit.* et *L. un. D. de bonor. poss. ex testam. milit.* Igitur ex his alterutrum si difficiat, nullus privilegio locus erit. Non omnes tamen pagani in hostico constituti iure militari testari possunt, sed ii tantum, qui ex necessitate castra sequuntur vel ob commodum exercitus ibi commorantur. Neque aliae solemnitates nisi externae ipsis remissae sunt. Contrarium quidem statuit HARPPRECHT *cit. diff. §. XXI. seq. et §. LII. seq.* sed vid. MICH. GODGER. WERNHERI *Lectiss. Commentat. in Pandectas* (Francof. et Lips. 1779. 8.) *tit. de testam. milit. et Perill.* DAN. NETTELBLADTII *Versuch einer Anleitung zu der ganzen practischen Rechtsgelahrtheit §. 1224.* Neque denique ad paganos ita testantes applicari potest distinctio MAXIMILIANI Imp. in *Constit. ann. 1512. tit. von testamenten §. 2.* quod perpetram sibi persuadet HOMMEL *cit. diff. §. XXIX.*

Ratio huius privilegii redditur in *L. un. de bonor. poss. ex testam. milit.* his verbis. *Quamquam enim distet conditio militum ab his personis, quas constitutiones principales separant: tamen, qui in prociectu versantur, cum eadem pericula experiantur, iura quoque eadem merito sibi vindicant.*


Singularis est opinio HOMMELII in saepius *cit. Diff. de differentia exigua inter testamentum militare et testamentum pagani in hostico condi-*

conditum, qua defendit, vnicam solum esse differentiam inter duas istas testamenti militaris recentioris species, hanc scilicet, quae a duratione petita est, eamque insuper exiguam dicit. Verum enim vero nec haec vnica est differentia testamenti militaris in specie sic dicti et testamenti quasi militaris, nec adeo exigua, vti Viro doctissimo visa est. Id quod pluribus demonstrare facillimum foret, si locus et tempus pateretur.

§. 12.

Vsus hodiernus et Ius Brandenburgicum.

Atque haec habuimus, quae de quaestione proposita, quamdiu valeat testamentum militare, ex iuris Romani principiis diceremus. Eadem et hodie obtinere in Germania, nullum dubium est. Loquimur autem de iure communi Germanorum. Quod ad prouincias Brandenburgicas attinet, exstat de testamento militari peculiaris constitutio sub hoc titulo: *Patent und Circular-Ordre an alle Regimenten, wie es wegen der Officiers- und Soldaten-Testamenten in Campagne zu halten. De dato Berlin den 18 May 1747.* quae legitur in *Corpor. Constit. Marchic. III. Contin. No. XI. Col. 153.* — 158. eaque nouiori sanctione iterum confirmata est: in *Reglement, wodurch festgesetzt wird, was nach dem Absterben eines Militairbedienten wegen dessen Nachlasses, Schulden und Bevormundung der Kinder den Militair-Gerichten und was davon den Civilgerichten zureguliren zukommt. De dato*



Berlin den 30. November 1772. §. XIX. In dicta constitutione de tempore, quousque valeat testamenta militaria, hoc cautum legimus: Solte auch derjenige, so etwas auf seinen Todesfall wegen einer bevorstehenden Gefabr und Action, und in deren Betracht verordnet, durch solche Begebenheit sein Leben nicht verliehren; so soll dennoch solcher letzte Wille auch nachhero bestaendig gelten, wenn er nicht wiederrufen oder geaendert ist. Es verliehren aber die Testamente und andere letzte Willen, so sonst als priuilegirt, ohne Solemnitaet gelten sollen, ihre Kraft Rechts bey denen, so ihre Fabne vor dem Feind oder im waehrenden Krieg verlassen, es sey Ober - oder Unter - Officier oder gemeiner Soldat. Conf. GE. FRIED. MÜLLER Koeniglich - Preussisches Kriegsrecht (Berlin 1760. 8.) p. 206. n. 4.



HVMANISSIMO DOCTISSIMOQVE
VOGTIO SVO

S. D. P.

IOAN. CASPARVS LVDOVICVS MENKENIUS

VITEBERGA-SAXO.

Ex animo TIBI mibique gratulor huius diei solemnitatem; TIBI praesertim, qui tam egregia ingenii doctrinaeque exhibes specimen, ut praeteriti temporis nec TE poeniteat, nec de futuro non optima quaeuis expectare possis: mihi, quem illius, quae in TE est virtutis testem, et, quod iuuat, praeconem esse voluisti, ut etiam quantopere me ames, publice declaraueris. Hoc ipsum tamen laetitiae meae argumentum, quam iustas dolendi causas mihi praebeat, Humanissime Vogti, ipse velim perpendas. Illud ipsum enim temporis punctum, quo, quantum in me sit erga TE amicitiae, publice sum ostensurus, in patriam me ex amicorum circulis reuocat, Tua consuetudine amplius uti vetat, vixque, ut vltimum vale! et feliciter! TIBI acclamem, permittit. Animum tamen erigit cogitatio, fore, ut quem TVI studiosissimum cognoueris, TIBI commendatissimum babeas; equidem me TIBI coniunctum fuisse, laeta mente semper recordabor. Scripsi Halae d, XXVI, April.

clōIocclxxx.

PRAENOBILISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
DOCTISSIMO DOMINO
EGIDIO GOTTLIEB VOGT
AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

CONRAD TRAVGOTT HAEYMANN

SAXO

L. V. CANDIDATVS.

OPPONENS.

*Tu mihi hodie praestas nouum Tuae singularis fiduciae atque
amicitiae, qua Tu semper erga me vsus es, testimonium, dum me
ad locum Opponentis suscipiendum prouocas. Lubentissime in me
suscepi hoc negotium, quia votis meis respondet. Ago itaque Tibi
gratias quammaximas pro Tua in me posita fiducia et gratutor Tibi
hunc diem solemnem, gratutor Tibi hoc editum Tuae diligentiae speci-
men et opto, vt Tu amoenitates iurisprudenciae magis magisque
sentias atque iura sacra colas, vt respublica ex Tua diligentia
fructus capiat saluberrimos. Vale, amorem que Tuum atque amici-
tiam mihi semper serua. Dabam Halae XXVI. Aprilis. Anno
MDCCLXXX.*

PRAENOBLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
EGIDIO GOTTLIEB VOGT

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

FRANC. IOACH. DREYSSIG

HALENSIS

L. V. CANDIDATVS

OPPONENS.

*L*actor occasionem, qua praecipua de Tua in me amicitia mihi praestitisti testimonia. Ad opponendum me inuitasti, pro qua singulari Tua humanitate Tibi maximas ago gratias. Admiror diligentiae Tuae, ingeniique praeclari specimina, qua palmam consecutus esse iurisprudendae videris, quam ut vividam conserues, frugesque optimas ex ea percipias, valde precor. Quis est, cui dubia extent in perlustranda dissertatione Tua? Omnia mirifice resoluisi ita, ut quisque, qui Tecum de his certare conetur, non tantum ea non possit turbitare, sed potius perspicua reddere teneatur. Quare tantum id abs Te peto, ut ea, quae forsitan Tibi erunt proponenda, benigne accipias, et amicitiam nostram etiam in posterum tuearis. Vale et res tuas semper age feliciter. Hal. XXVI. April.
c1c1ccclxxx.

BRANNO...
EGIDIO BOTTE...
AMICO...

FRANC JOSEPH...

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Stamp or faint text at the bottom of the page, possibly a library or archival mark.

V

HE

IVR



Halle, Diss.) 1779/80

ULB Halle 3
003 706 001



56.

60 18



herfen
positit
er alle
gt w
selber
kung
re di
m g
recht
h D
Ber
lich
gde
en u
ne d
n
w
it g
ollic
us
ndt
ene
el,
ein
heil
de
ein
tur
inc



Farbkarte #13

B.I.G.

13.

1780 6a

DISSERTATIO IVRIDICA
QVAMDIU
VALEAT TESTAMENTVM
MILITARE?

12

QVAM
CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
HENR. IOANNE OTTONE KOENIG

I. V. D.
SCABINATVS HALENSIS ASSESSORE ORDINARIO
AC
IVRIVM PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO
H. L. Q. G.

DIE XIX MAII MDCCCCLXXX
DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
EGIDIVS GOTTLIEB VOGT
SVRINAMO-AMERICANVS.

HALAE
LITTERIS IO. IAC. CVRTII.

